D. THOMAE MENTII
ROMANI
CANONICI REGVLARIS
Congregationis Saluatoris

ORATIO.

Habita Romæ in Aedibus Sancti Petri ad Vincula, ad Patres eiuſdem Congregationis, antequam generalia Comitia Prioris Generalis creandi cauſa inirent VI. Nonas Maij MDCX.



ROMAE, Apud Guillelmum Facciottum. MDCX

Superiorum Permiſſu.

REVERENDISSIMO PATRI

D. BLASIO BAGNO A CENTO

Canonicorum Regularium Congr. Saluatoris Priori Generali digniſſimo.

D. THOMAS MENTIVS ROMANVS eiuſdem Congregationis infimus S. P. D.

NIhil minus fore putaueram, Blaſi Antiſtes optime, quàm vt Oratio à me nuper ante Comitia noſtri Ordinis, Romæ habita in publicũ edenda, tibiq. inſcribenda eſſet. Satis habebam tuo iuſſu dixiſſe, vt hoc qualecumque Tirocinij mei ſpecimen, in illa grauiſſimorum Patrum corona præberem. Nec luce dignam exigui ingenij lucubratiunculam, nec ſi publicanda eſſet (ignoſce quæſo ingenuè confitenti) tuo me illam clariſſimo nomini dicaturum credidi. Non quòd non omnia tibi me debere cenſeam, cuius ſingulari beneficio ſacræ Religioni initiatus ſum, ſed quia cum ipſa Oratio de nouo Antiſtite eligendo ageret, ei, quem tibi Patres ſubrogaſſent muneri dari, atque offerri conueniens videbatur. Quis autem temet ipſum, tibi ſucceſſurum opinatus eſſet? Noua res, & admirabilis hæc fuit in oculis noſtris, cum Conſtitutionibus Ordinis cautum ſit, ne vltra triennium, in quoquam ſumma hæc Dignitas continuetur. Sed enim inuſitata virtus tua, Paulo Quinto ſapientiſſimo Pontifici apprimè cognita effecit, vt hoc quidem tempore Ordo ipſe legibus Apoſtolica poteſtate ſolueretur, & Patres qui Comitijs aderant, vno ore acclamantes, Non eſt inuen-

tus ſimilis illi, qui conſeruaret legem Excelſi, ſua in te ſuffragia concordiſſimis, ac lubentiſſimis animis contulerunt. Præter ſpem igitur, ſed non contra votum, quinimo ſumma cum omnium voluptate, atque lætitia, ſicut totus Ordo non mutauit Antiſtitem, ita mihi, & Orationi meæ, quæ te Auſpice meditata, ſcripta, dictaq eſt, vſque ad extremam editionē, patrocinium gaudeo conſeruatum eſſe auctoritatis tuæ. Hoc forſan, & iuuenilem in edendo audaciam excuſauerit, quòd & has ſtudiorum meorum primitias tibi, à quo totus pendeo, negare non poteram, & ex beneuolentia, qua te vniuerſus hic Ordo complectitur, aliquid etiam in me gratiæ à ſenioribus Patribus redundare poſſe ſperaui, vt quidquid eſſet à me profectum, æqui bonique conſulerent. Te quidem vt me tueri, ac fouere pergas, orare pluribus ſuperuacaneum eſt. Porrò ego, quod debeo, Deum precari non deſinam, vt te tandiu nobis Præſidem Rectoremque conſeruet, quoad pro tuis meritis, ad huius Religioſæ familiæ decus, maiore aliquo augearis honoris, & dignitatis incremento. Romæ V. Nonas Maij. M D C X.

D. THOMAE MENTII ROMANI CANONICI REGVLARIS Congregationis Saluatoris,

DE PRIORE GENERALI *eiuſdem Congregationis eligendo.*

ORATIO.

SI quis forte reperiretur P. Religioſiſſimi, cui dubium eſſet quale id negotium ſit, quod hoc quidem tempore in ſacri huius Ordinis celeberrimo conuentu tractandum eſt, is ſi qui homines adſint, ad hoc vnanimiter congregati tantiſper reſpexerit, facile iudicabit rem eſſe quæ agitur huiuſmodi, in qua ſalus totius Ordinis contineatur. Adſunt enim cũ Capite ipſo excellentiſſima Religioſi huius corporis membra, cum ſummo Antiſtite proximi quiq. gradu honoris & dignitatis; euocati vndiq. ad hanc Arcẽ Romani collis, quos aut maturitas ętatis, aut profeſſionis vetuſtas, aut conſilij grauitas, aut doctrinæ pręſtantia, aut vitę ſpecimen vbicunq. locorũ in familia noſtra cõmendat. Non poteſt non grauiſſimum negotium exiſtimari, ad quod conficiendum tanto numero, tanto delectu, tanta ſapientia, virtuteq. viri requirantur; Nemoq. id quã vos ipſi, P. Religioſiſs. melius intelligit, qui cum Generalis noſtri Antiſtitis, more inſtitutoq. maiorum ſubrogandi cauſa conueneritis, tam perplexam vobis, atq. ancipitem electionem imperantis ducitis, quàm arduũ ac difficile eſt imperare. Hæc enim illa tandem res eſt permagni momenti, ob quam publica

Romæ Comitia hæc indicta ſunt,cuius gratia tam longinqua à plurimis veſtrum itinera ſuſcepta, tot ſumptus, tot labores impenſi, de qua vobis ineunda conſilia, ferenda ſuffragia, idque demum conſtituendum, quod Ordini vniuerſo vtile maxime cenſueritis,& ſalutare. Atq. in re tanta,P. Religioſiſſimi,etſi præcipua eius bene gerendę ſpes in Diuini Numinis ope poſita eſſe debet,cum nullum excellentius ſummi Dei munus ſit,quàm bonus,& ſapiens, & omni virtute ſpectabilis Rector, humanæ tamen etiam curæ, ac diligentię ſubſidia in tali viro renunciando adhiberi æquum eſt, vt ad eum quem elegerit oſtendendum,tantò benignius Diuina ſe bonitas inclinet,quantò nos attentius ad hoc ipſum viderit mentes, cogitationesq. noſtras referre. Quare præter eam ſollicitudinem, qua quiſq. priuatim in hac deliberatione affecti eſtis, vt id decernatis quod ex vtilitate, & dignitate omnium maximè eſſe videatur,publicā quoq. orationem ante Comitiorum ingreſſum haberi poſtulaſtis,qua non tam quę pro ſapiētia veſtra nouiſtis optimè doceremini,quā quę facere parati eſtis pro modeſtia recognoſceretis. Quo minus mirū ſi mihi & in his Religionis caſtris tironi, & imperito adoleſcenti munus hoc dicendi mandatum eſt, cum non debeam erudire Doctores, ad quem illud merito dici poteſt,Interroga Patres tuos & annunciabunt tibi,ſed compellar obedire Superioribus,quorum tam magna humilitas eſt, vt ex ore infantis quæ Dei laudem perficiant,annunciari ſibi non dedignentur. Tanta igitur moderatio veſtra,P.Religioſiſſimi,non poteſt à ſumma benignitate eſſe ſeiuncta. Illa præcepit vt dicerem,hæc dicenti audientiam pollicetur. Si huius ſuperioris loci aſcenſum ſponte ambiuiſſem,neceſſe erat rogare me,vt a vobis benignè audirer; Cum ſtudio obedientiæ maius onus ſuſceperim, quàm vires meæ ferre poſſint, æquum eſt me à vobis qui illud impoſuiſtis,grata in audiendo facilitate, ac beneuolentia ſubleuari. Atq. vt ex eo initium ſumam,quod eſt ſa-

cra-

cratiſſimi huius Ordinis proprium; Non poteſt non felix horum Comitiorum ſucceſſus P. Religioſiſs. ſperari, ad quæ in nomine Domini congregati eſtis. Nam ſi vbi duo in hoc nomine, aut tres congregati fuerint, adfuturum ſe Chriſtus pollicetur in medio eorum, quantò magis vbi tam frequens Cætus, tã nobilis multitudo conuenit? Chriſto autẽ pręſente, quis dubitet quin cepta omnia atq. cõſilia, fauſtè feliciterq. ſuccedant? An verò ne non in nomine Domini congregati ſitis, poteſt in dubium reuocari? Quippe quod eſt nomen Domini, niſi Saluator? At vos ipſa Congregatio Saluatoris. Huic nomini ſacramentum religionem amplexi dixiſtis, Huic militatis, In hoc nomine non poteſtis non eſſe congregati. Stat igitur Chriſtus in medio veſtrum; ſtat profectò, ſi non nomen tantum inane iactamus, ſi fixum illud in corde gerimus, ſi illius honorem quęrimus, ſi præcepta ſeruamus. Alioquin & illis qui aiebant; Nonne in nomine tuo Dęmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Reſpondet Dominus, Neſcio vos, Diſcedite a me operarij iniquitatis. Et rurſus aliis, exprobrat, Quid vocatis me, Domine Domine, & non facitis quę dico? Non ſatis eſt ergo congregatos eſſe omnes in nomine Domini, ſiue per primum Religionis ingreſſum, quę Saluatoris titulo gloriatur, ſiue per pręſentis Capituli eodem Saluatore auſpice legitimam, & canonicam indictionem, niſi ſtans Chriſtus in medio, & retineatur, & audiatur. Eſt enim Chriſtus, vtpote Deus potentię quidem ſuæ maieſtate præſens vbiq. ſemper, ſed exhibitione gratię & venire, & abire, & manere, & recedere poteſt. Ego vado, & venio dicebat diſcipulis ſuis; & in hodierno ſacro Euangelio, Modicum & videbitis me, & iterũ modicũ & non videbitis me Ah mane, mane nobiſcũ Domine, Ne ſit modicum illud, quo te in medio noſtrum videamus; Abſit vero penitus, vt te nullo modo videamus Dixiſti Domine aliquando, Si quis diligit me, & mandata mea ſeruabit, ad eum veniemus, & manſionem apud eum

faciemus. En ſacra hęc Patrum corona tui amore ardet, tua mandata ſeruare parata eſt, Sic veneris Domine,vt manſionem etiam facias apud eos. Iam verò,& ades Domine, & in medio manere non denegas, quoniam ſic ad hęc Comitia celebranda Patres iſti cōuenerunt,vt omnia in nomine tuo,& ex pręſcripto vocis tuę,ſe facturos polliceantur. Loquere tu iam,Loquere Domine,vt te audiāt. Stetit Ieſus(inquit Ioannes)in medio diſcipulorum,& dixit eis, Pax vobis. Idem nunc ſtantem in medio veſtrum, P.Religioſiſſimi,dicere Chriſtum exiſtimate. Pax vobis. Poteſt hęc vox eſſe adhortantis, vt in tam graui negotio quod pręmanibus habetis, Pax inter vos eſſe iubeatur, ne exulceratis odio animis,ſimultate auerſis, factione diuiſis, quod vnanimi conſenſu rite ab omnibus, ac ſanctè ſtatuendum eſt,diſtractione voluntatum perturbetur, ac corrumpatur. Poteſt & eadem vox eſſe donantis Chriſti, ceu dicat,Pax a me vobis, Pacem meam do vobis; Ego qui princeps pacis,qui pax ipſa ſum,faciens vtraq. vnum pacis vobis cęleſte munus impertio, vt quę ad vtilitatem omnium veſtrum pertinent, concordibus mentibus atq. ſententiis agatis. Obedire adhortanti virtutis eſt, à donante accipere felicitatis. Sed neutrum ſine altero ſtare poſſe videtur, vt & diſpoſitione noſtra, & gratia Chriſti perfecta Pax habeatur. Pax vobis igitur tertio quodam ſenſu P.Religioſiſſimi, dixerim, nempe eſt procul dubio pax vobis. Quis enim hoc ambigat? quorum Religio pace ſemper floruit,pace aucta, pace propagata eſt, vt verè dici poſſit,In pace factus eſt locus iſte. Quorum in templo ferreę ipſę catenę(ò pręclarum ſymbolum vnionis) ita admotę inuicem cohęſerunt,ſeq. fortiter conſtrinxerunt, vt è duabus vna,nullo manente ſegregationis veſtigio efficeretur.Quò magis credendum eſt,vbi ferrum ipſum diuulſum victa naturę duritie, diuinitus coaluit molliſſima corda veſtra,per pacem Chriſti, quę eſt vinculum perfectionis, in pręſentibus Comitiis ita nexa inuicem, & con-

gluti-

glutinata fore,vt ne omni quidem Inferarum poteſtatum vi,ac conatu diſtrahi, aut diſiungi poſſint. Quę autem inter vos debet eſſe coniunctio,niſi vt in ſententiis dicendis,ferendiſq. ſuffragijs,vnum ſpectetis,vnū velitis omnes? quod eſſe bonū cōmune totius Ordinis, nemo eſt qui non intelligat; a quo nec proprij honoris deſiderio,nec alieni inuidia,nec amici gratia,nec fratris odio, nec humano vllo perturbationis impulſu abduci quemquā, aut dimoueri par eſt. Super hanc igitur Pacis, atq. cōcordię firmiſſimā petrā fundamento poſito, ac rectę mētis intentione vnanimiter ſtabilito, qui vir è tanto cętu ſit vniuerſo Ordini pręficiendus,quę potiſſima cauſa vobis conueniendi fuit, diligenter conſiderandum eſt. Habet enim res hęc ambiguam deliberationem,non ſolum quia multa requiruntur in eo qui tanti gubernaculi pondus ſuſtinere debeat, ſed quia cum tanto numero ſitis,omneſq.& de Religione optimè meriti,& eximijs virtutibus excellentes,difficilem facit copia ipſa delectum. Ac mihi quidem ſi capita quædam virtutum attingenda ſint, quæ ſummum Antiſtitem deceant, cui vniuerſæ huius ſacræ familiæ procuratio committatur, non aliter ea melius colligere poſſe videor,quàm in vos ipſos intuendo, eaq. notando in quibus inuicem certantes,veſtrumquiſq. eminere maximè contendit. Animaduerto autem, quatuor à vobis Religioſiſſimi Patres, qui hic adeſtis,vel exemplo oſtendi, vel in alijs præcipuè coli, & æſtimari; Vitæ probitatem, Doctrinam, Prudentiam, & in rebus gerendis Attentionem ac Vigilantiam. Quare quem his dotibus præter ceteros ornatum videritis,in eum haud dubio ſuffragia veſtra merito conuertentur,eū ſummo totius Ordinis gradu, ac Magiſtratu omnino digniſſimum iudicabitis. Ac probum quidem vita, & moribus neminē non eſſe cōuenit, qui aut vt homo rationis lumine præditus Virtutis pulchritudinem agnoſcat, aut vt Chriſtianus, diuinæ gratiæ, animæq. ſuæ ſalutis ſit ſtudioſus. Sed ſi in quolibet profano homine, ne dum

Reli-

Religioſo maculoſa vita reprehenditur, quantò magis in eo qui in aliquo Religionis culmine collocandus eſt caueri debet, ne vlla vitiorum labes notari poſſit? Præſertim cum quò quis ſublimiori loco extollitur, eò magis hominum oculis expoſitus ſit, ipſaq. macula in ſplendore Dignitatis, expreſſius appareat, ac cernatur. Monſtri profectò ſimile ſit, ſi quod requiritur in membris, non reperiatur in Capite. Quot autem inde mala conſequantur, quis non videt? & quam pernicioſa, quis non intelligit? cum grauiſſimi morbi illi ſint, qui à capite in membra diffunduntur. Quomodo enim ſibi ſubiectos corriget, qui ipſe argui mereatur? Quis non excuſabile delictum ſuum putabit, Superioris obtendens exemplum? Quis ſubditos mirabitur non bonos eſſe, cum Prælatum nihilo videat meliorem? Sed quorſum a me tam multis hoc loco talia exaggerantur? in quo quot eſtis, P. Religioſiſs. tot clariſſima lumina probitatis eſtis, atq. virtutis, è quorum numero nemo in ſummum Antiſtitem eligi poteſt, qui non ſe, vt Apoſtolicus ille Titus, prębuerit ſemper bonorum operum exemplum, qui non ſupra Candelabrum poſitus, poſſit excellentiſſimarum laudum ſuarum radiis, non hunc modo Ordinem, ſed totam Dei Eccleſiam illluſtrare? Enim vero quia ſicut differt ſtella, a ſtella in claritate, ita gradus quidam ſunt ipſius probitatis, in id dirigendam, figendamq. mentium veſtrarum aciem exiſtimo, vt ſi fieri poſſit, è Corpore veſtro optimus ac pręſtātiſſimus, quiq. velut Heſperus inter ſidera reſplendeat eligatur, vt cum omnes quidem digni ſitis, in eo Dignitas collocetur, qui omnium ſit ſua probitate digniſſimus. Atq. in huius partem ſuffragij etiam ſe Doctrina admitti poſtulat, quæ vt à pleriſque ad animi voluptatem, ab alijs ad ornamentum quoddam ingenij expetatur, valet tamen ad multas vitæ vtilitates, in primiſq. illis, qui intra clauſtra Religionum digne verſari volunt, eſt neceſſaria. Nam cum hos ſacris initiari, ſacra exercere, ſacra exponere, ſacra defendere oporteat, qua

nam

nam ratione his idonei eſſe poterunt,ſine earum rerum co gnitione,quæ cum humanis, tum diuinis maximè litteris continentur? Hinc rudem, & imperitum hominem arcet ab altaribus ſuis Deus, grauiterq. ei verbis illis comminatur, Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te ne ſacerdotio fungaris mihi. Quod ſi quemlibet Religioſum expertem eſſe ſcientiæ,atque doctrinæ nefas eſt,cui dubium eſſe poteſt,quin is qui in Religione obtinet principatum, quantò cæteris gradu anteſtat,tantum debeat ſapientiæ, & eruditionis laude prȩſtare? Paſtor enim conſtitutus,nō exemplo ſolum,quod probitatis eſt, ſed etiam verbo gregem ſuum paſcere debet,vt potens ſit(inquit Paulus)exhortari in doctrina ſana.Atque hanc Doctrinæ,Probitatiſque coniunctionem noſtro propoſitam Ordini ſemper fuiſſe,illud apertè indicat, quòd qui illius fundamenta iecerunt,ad B.Auguſtini clariſſimi Eccleſiæ Doctoris normam leges nobis,& iura ſcripſerunt, nemoque ad hæc vſque tempora huius Ordinis gubernationi præpoſitus fuit,qui non & Doctrina Probitatem,inſtruxerit,& Probitate Doctrinam condecorarit. Quare ſi quis eſt inter vos(P.Religioſiſſimi)quem largius quam ceteros de liberalium artium fontibus hauſiſſe noueritis,qui ſit diligentius in omnium litterarum genere,& exercitatione verſatus, qui amore bonarum artium incenſus,fouendo,ac promouendo ſtudia etiam iuniorum, augere Ordinis gloriam poſſit, is ſi ſummus Antiſtes per veſtra ſuffragia declaretur, quin ſummam iudicij laudem laturi ſitis,dubitare nullo modo debetis. Iam vero ſine duce illa, & auriga virtutum omnium Prudentia,quis habenas tanti regiminis benè,ac feliciter tractari poſſe arbitretur? Eſt enim hæc propria regentium virtus, qua mens eorum ad ea exequenda quæ ſui muneris, reique publicæ ſunt acuitur, & excitatur. Hæc quid expetendum, quid fugiendum ſit docet, vtilia ſequitur,noxia euitat,in dubijs conſilium capit, præſentia ordinat,futura anteuertit, præterita recordatur.Quid rei

tem-

tempori, locis, perſonis conueniat, ſcrutatur, ſolertique deliberatione media diſponit, & ad optimum finem cuncta perducit. Quis putas ergo eſt fidelis ſeruus, & prudens quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam? Hic vobis (P. Religioſiſſimi) & intra ſe vnicuique diligenter diſquirendus eſt, & communibus conſilijs inueniendus. Sane ętas prudentiam affert, vſus, & experientia auget. Nec ſeni iuuenis, nec perito inexpertus hac ſe virtute compoſuerit. Nec vero negarim, bono quodam naturę effici poſſe, vt ſolers, & memor, & perſpicax nõnullis ad gubernandum ingenium ſit. Sed hoc perraro, & non niſi ſingulari Dei Optimi maximi munere contingit, cum ſcite dictum à quodam ſit, eum qui rector nauis eſſe velit proretam prius, aut remigem eſſe oportere. Omnium quidem difficillimum eſſe imperare ethnicus dixit Imperator, quod cum multo ante diues ille Hieroſolymorum Rex cognouiſſet, optione ſibi à Deo facta, vt quod vellet poſtularet, Dabis (inquit) ſeruo tuo cor docile, vt populum ſuum iudicare poſſit & diſcernere inter bonum & malum. Quod quid eſt aliud obſecro quam ipſa prudentia? Implorandus igitur Deus, vt cęleſti inſtinctu ſuo afflatis, colluſtratiſq. mentibus veſtris oſtendat vobis, quis ſit ille fidelis ſeruus & prudens, quem ſuper hanc Religioſam familiam per ſuffragia veſtra Iudicem, Rectoremq. conſtituat. Extremum illud eſt, vt attentum vobis, ac vigilantem commodis, ac ſaluti totius Ordinis Antiſtitem prouideatis; quę res quantoperę neceſſaria ſit, ex eo facilè apparet quòd qui ſub imperio ſunt, in eius qui pręeſt cura, & ſollicitudine conquieſcunt. Apud Homerum quidem ſummus Imperator à Minerua monitus Agamemnon, Gręcis ceteris ſomnum capientibus, de nocte caſtra ſtationeſque circumit, quod ipſum apud Virgilium facit Aeneas. Sed quid ego profana conſector? Ecce enim non dormitabit (Regius Vates inquit) neque dormiet qui cuſtodit Iſrael, Petroq. quem vniuerſæ Eccleſię Chriſtus prępfecit, Si-

mon

mon,inquit dormis? Quòd alij dormiant,hoc quidem non multum intereſt, quòd autem is dormiat, cuius à vigilia ſalus pendet cęterorum, hoc vero perquam graue & periculoſum eſt. Vigilanter igitur & vos agite P. Religioſiſſimi, vt talem Paſtorem eligatis,qui diligenter cuſtodiat vigilias ſuper gregem ſuum;talem Rectorem,qui nobis dormientibus peruigilet, quaſi rationem redditurus pro animabus noſtris; talem Antiſtitem,qui velut è ſublimi ſpecula hoſtis inſidias ſagaciter exploret, præueniat cõſilia malignantium, machinamenta diſſipet,atque diſperdat. Quid dubitas? Quid formidas ſacra Congregatio Saluatoris? Ecce ſuper muros tuos conſtitutos cuſtodes die,ac nocte.En lectulum Salamonis (clauſtrum Religionis Bernardo interprete,in quo quietè à curis ſæculi viuitur)Sexaginta fortes, immò aliquanto plures ambiũt ex fortiſſimis Iſrael,omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi, vniuſcuiuſq. enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos. Nemo ex his eſt,qui non diuerſas per muros tuos ſtationes ſeruauerit, qui non laboribus,atque vigilijs per varia Religionis munia ſit probatus;omnes egregiè accincti, omnes fortiter armati ſunt. Ex hac cohorte quicumque in ſumma Arce tibi ſteterit, eris profectò ab omni hoſtili incurſione defenſa. Sed vt ad vos qui mihi in conſpectu eſtis,finem iam ſpectans mea ſeſe conuertat oratio, cum omnes P. Religg. ijs quas receſui virtutibus ornati ſitis,Inchoate hodie ſacra Comitia alacres, Ite in ſuffragia ſecuri; Eligite è Corpore veſtro quem vultis; Non poterit non bonus eſſe qui ex bonis,& à bonis electus fuerit. Habetis ſpecimen,formamq. Antiſtitis optimi, eum qui triennio proximo,ſacræ huius Reipub.gubernacula tenuit, cuius Probitas nullo vnquam vitiorum confinio læſa eſt, cuius Doctrina ſicut Sol in firmamento refulſit,cuius Prudẽtia proſpexit ſemper neceſſitatibus veſtris,cuius Vigilantia nunquam pro vobis defatigata eſt. Adde conſpicuam in Deum pietatem,caritatem in ſubdi-

tos

tos,auctoritatem apud Principes,dexteritatẽ in negotijs, zelum diſciplinæ,grauitatẽ comitatem ſeueritatem pro tẽ pore, moderationem in re priuata, magnificentiam in pu blica,diſcretionem in iubendo,ſuauitatem in corrigendo, clementiam in indulgendo,benignitatem in gratificando, ſtudium pacis, atque concordiæ,mentẽ deniq. nihil aliud quã de Dei gloria,& de Ordinis dignitate cogitantẽ.Quę omnia, & alia maximarum virtutum ornamenta,ſic in te BLASI vir Pręſtantiſſime,toto Magiſtratu tuo enituerũt, vt præclaras actiones tuas,nulla apud nos obliteratura ſit ętas,vtq́.merito deincepsexemplũ ſucceſſoribus proponi poſſis,ad quod illi in hac ſacra familia gubernanda ſe dirigant,atq. cõponant.Sed de te plura dicere pudor prohi bet,ne quia tu mihi Dux atq.auctor tanti boni fuiſti,vt in hãcReligioſam Militiã cooptarer,tuas vel leuiter percurrere laudes non tã grati animi ſignum,quàm ſpecies quædam adulationis videatur. Vos vero,P.Religioſiſſimi,qui me non ad gratiam ſed ex veritate loqui cognoſcitis,Antiſtitem nobis pro veſtra ſapientia huic ſimilem reddite, quem ad hanc diem habuiſtis, qui ea quæ Vir hic optimus egit confirmet, quæ inſtituit proſequatur,quæ cepit perficiat; quique in hac quam ille vobis præſtitit, Ordinem totum quiete, ac tranquillitate conſeruet. Ac quod de generali Antiſtite dixi, idem vobis facile eſt ad illos accõmodare,qui onus Viſitationis ſunt accepturi,vt quemadmodum ad ſummum gradum proximè inReligione accedunt,ita ab eodem non longè ſplendore virtutum abeſſe videantur. Quàm hoc ſit graue quod tractatis negotiũ videtis.Vnum agite,vni intẽdite,ceteræ cogitationes procul ab animis recedant,ſola vobis Dei gloria, ſola dignitas,& vtilitas publica ob oculos ſit conſtituta. Hoc vt à vobis fiat qui vbiq.per Italiã ſunt fratres noſtri audi re geſtiunt, Hoc qui Romæ verſantur,Romaq. ipſa craſtino die videre expectat.Maximè autem omnium Sanctiſs. Pont. PAVLVS V. cui ſollicitudo incumbit omnium Ec-

cle-

cleſiarum, de hac eſt veſtra deliberatione ſollicitus: Vtq. ipſe ad culmen Apoſtolatus diuinitus electus, meritò eius Apoſtoli nomen gerit, qui vas dicitur electionis, ita electionem hanc veſtram ex Deo eſſe, & ad totius Ordinis ſalutem bene euenire deſiderat. Quid eſt autem quod, & ſi ſponte facitis, non huius Sãctiſſimi Pontificis cauſa, multo libentius atq. alacrius facere debeatis? Cuius tanta in vos paternæ beneuolentiæ ſignificatio extitit, vt cum ſanctę memorię Cynthio Aldobrandino Patrono optimo importuna morte vobis erepto, nouum ab eo Patronum poſtularetis, in ſuam familiæq. ſuæ Illuſtriſſimæ tutelam hunc a ſe Ordinem pręcipue ſuſcipi dixerit. Quo ſane quid vel ad animorum noſtrorum voluptatem, vel ad hominum exiſtimationem honorificentius dici poterat? Eoq́. magis quod inter innumera Chriſtianæ Reipublicę quibus diſtinetur negotia, Scipio Burgheſius Purpurati Senatus decus, Sanctiſs. Patrui voluntati adhęrens, idẽ Ordinis noſtri patrocinium ſe benignè ſuſcipere, omniq. tempore geſturum profeſſus eſt. Dedit autem idem Benigniſs. Pontifex, & pro more ex intimis ſuis Cardinalibus Protectorem, virum cum alijs virtutibus tum acri præcipuè ingenio præditum, & vſu rerum gerendarum in Eccleſia Dei exercitatum; à quo omnia in nos beneuolæ voluntatis officia ſperare poſſemus, cuius protectionem fortiſſimi nobis inſtar propugnaculi fore, Leo ille lancea armatus oſtendit qui ad nullius expaueſcit occurſum, nec rugitu modo terrorem inijcit aduerſarijs, ſed haſtæ cuſpide eos longius arcere, ac propellere poteſt. Confidite ergo, P. Religioſiſſimi, & PAVLI Pont. Max. Scipioniſq. Nepotis eius beneuolentia ſuffulti, & Lanfranchi Cardinalis Ampliſſimi patrocinio defenſi: Vtq. in eo quod initio ſumpſi mea claudatur oratio, Exulta tu & lauda habitatio Syon, quia in medio tui Sanctus Iſrael. Quid enim aliud Syon, quam viſio pacis? Vbi ergo pax videtur ibi eſt habitatio Syon. Ergo hic habitatio Syon, quia, Ecce quam bonum, & quã

iucun-

iucundum habitare fratres in vnum. At vnde vnitas pacis prouenit inter tot fratres? Ex eo, quia in medio eorum Sanctus Iſrael; vtique ille, de quo Virgini prædixit Angelus, Quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur filius Dei. A Chriſto igitur filio Dei pax iſta, qualem ſcilicet excitatus à mortuis, in medium veniens diſcipulorum annunciauit eis dicens, Pax vobis. Et quo merito fieri credendũ eſt, vt Chriſtus ſit quoque in medio veſtrum P. Religioſiſſimi? Nempe quia in nomine eius, vt initio dicebã congregati eſtis. Et quod eſt nomen eius? Quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur, Ieſus, hoc eſt Saluator. In Saluatoris ergo nomine, & ab initio profeſſionis veſtrę conſecrati Deo, & ad præſentia Comitia congregati, quid, niſi fauſtum, ac ſalutarem, quaſi ipſo præſente, ac fauente Numine, conſiliorum veſtrorum exitum ſperare poteſtis? Tu ſumme Saluator, qui alijs multis decoratus titulis, hoc præcipuè nomine gaudes, quod tibi multis laboribus, ipſoque profuſo ſanguine peperiſti; eidem glorioſiſſimo nomini deuotos, dicatoſq. fronte benigna reſpice; Qui locum miniſterij huius dignè tenere poſſit oſtende, in eumque omnium qui hic ſedent mentes inclina, ſuffragia conuerte, vt optimo per te nobis Antiſtite, ac Rectore conceſſo, huius ſacrę Religionis Nauicula ab omni tempeſtate ſecura, ſecunda ſancti tui Spiritus aura, in portum ſalutis feliciter prouehatur.

FINIS.